

.lxx. ALIA .

Iustificati ex fide fratres karissimi pacem habeamus ad deum per dominum nostrum iesum christum . per quem accessum habemus in fide per gratiam istam in qua stamus . et gloriamur in spe glorię filiorum dei .

Hic quidem demonstratur quod nemo suo merito . sed omnes aequaliter dei gratia sunt saluati . Et ideo pacem dei habemus si in gratia ipsius manemus . qui ante iacuimus in tenebris et errore . Igitur gloriari nos oportet sperando nos esse filios dei . possessuros uitam aeternam . Quia nullus potest merito accipere quicquam sine gratia ipsius . qui est redemptor noster . De quo dicitur . venit filius hominis saluare quod perierat . Hoc est humanum genus quod per adam cecidit in perditione . per christum dominum resurrexit ad uitam aeternam non solum autem in hoc . sed et gloriemur in tribulationibus ; scientes quoniam tribulatio patientiam operatus patientia autem probationem . probatio uero spem . spes autem non confunditur . quia caritas dei diffusa est in cordibus nostris . per spiritum sanctum qui datus est nobis .

In tribulationibus ergo gloriemur magnitudinem premii cognoscentes . quia tribulatione finita premium infinitum inueniemus si pro nomine domini aliquid patiamus .

Considerato enim premio . nullum possumus condignum aestimare laborem . Multi siquidem se ad bestias

/142v/ et ad bella propter aurum et argentum deputarent . quanto magis multas iniurias pati debent in hoc mundo propter deum . pro quibus aeternum habere possunt regnum . Tribulationes ergo nostrę aeternam nobis salutem adquirunt . et a doloribus sempiternis nos liberant . Et ideo gratias semper agere debemus deo . in tribulationibus nostris . Magna enim nobis est gloria . de imis

ad summa crescere . de nichilo ad maxima regna perueni
re . de limo terrę ad caelum conscendere . et de seruitute uoca
ri ad regnum sempiternum . Haec omnia quidem habemus
per iesum christum saluatorem nostrum . qui cum patre et spiritu sancto uiuit
et regnat . in secula seculorum . amen .